



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. I. Vtrum gratia in sanctis hominibus per bona eorum opera in hac vita
augeri possit, & consequenter, an in diuersis personis eodem tempore, vel
in eadem, pro diuersis temporibus, gratia possit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

LIBER NONVS

DE AVGMENTO,
AC PERFECTIONEIVSTITIAE, SEV GRATIAE,
EIVSQVE CERTITVDINE.De duobus
ad salutem
possi primam
gratiam ne-
cessariam a-
gendum.
Primum.

OST primam iustifica-
tionem duo supersunt
homini ad salutem ne-
cessaria; quæ ad perfe-
ctam iustitiæ cogniti-
onem, & huius materiae
complementum tracta-
re oportet. Vnum est, vt
homo iustificatus de vir-
tute in virtutem tendat;

Secundum.

suæq; membra arma ius-
titiæ in sanctificationem per obseruationem man-
datorum præbeat, &que in ipsa iustitia per Christi
gratiam accepta crescere, magisque, ac magis iustifi-
cari non cesser: nam scriptum est, *Qui iustus est, iustifi-
catur adhuc*. Aliud est, vt gratiam in iustificatione ac-
ceptam ita conservare studeat, vt in ea usque ad mor-
tem perseueret, sicut scriptum est: *Qui perseuerauerit
usque in finem, hic saluus erit*. Et quamvis hoc posterius
absolute loquendo, magis necessarium sit, quam pri-
us, quia sine perseuerantia nemo saluari potest, sine
augmento autem iustitiæ aliquem saluari non repu-
gnat, & similiter conservatio gratiæ prior sit, quam
augmentatio, quia ad istam illa supponitur. Nihilo-
minus dicemus prius de augmento, postea de con-
servatione, tum quia non quæcunque gratiæ conser-
uatio, sed illa, quæ durat usque ad mortem ad præ-
sentem considerationem præcipue pertinet, & com-
paratione illius prior, & vniuersalis hoc secunda ius-
tificatione, seu aliqua gratiæ accretio, ac perfectio,
quam perseuerantia in illa, vt per se notum est: tum
etiam quia augmentum iustitiæ, quod obseruatione
mandatorum, & exercitio bonorum operum com-
paratur, via est, qua ad perseuerantiam tendatur, &
medium ad illam comparandam moraliter necessa-
rium. Tum quia necessitas obseruandi mandata fe-
re semper, & omnibus occurrat, tum etiam quia ten-
tationes non desunt, quæ exercitio virtutum supe-
randa sunt: propter quod monet Sapiens: *Ne vera-
ris usque ad mortem iustificari*. Dicemus ergo in hoc
libro de augmento iustitiæ, in sequenti vero de per-
seuerantia in illa.

De primo
in hoc opere
agendum.

2.

Tres gradus
seu modi perfectionis inueniri.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

Primum.

charitatis multum impediunt. Vnde licet hæc per-
fectio priuatiua videatur, nihilominus ad purita-
tem, ac munditiam spiritualem iustitiæ, ac sanctita-
tis necessaria est, & magna pars perfectionis iustitiæ
moraliter reputatur. Tertia perfectio magis extrin-
seca est, supponit vero duas præcedentes perfectio-
nes in excellenti gradu, consistitque in quodam sta-
tu perfectionis, qui secum securitatem quandam, &
moralem certitudinem propriæ iustitiæ generare
valeat. De omnibus ergo his perfectionum modis
suo ordine dicemus: Nam licet de augmento iusti-
tiæ soleat disputari in tractatu de charitate, re vera
ad hunc locum spectat, quia illud augmentum per se
primo conuenit gratiæ, & commune est omnibus
virtutibus infusis, & ad alias perfectiones iusti-
tiæ supponitur, ideoque de illo primo loco dice-
mus.

Tertium.

CAPVT I.

*Utrum gratia in sanctis hominibus per bona eorum
opera in hac vita augeri possit, & consequenter, an
in diuersis personis eodem tempore, vel in eadem pro-
diuersis temporibus gratia possit esse in-
æqualis?*

HÆC omnia, quæ in titulo capitis proposui, inter
se connexa sunt, nam si gratia augeri potest, ac
proinde esse maior, & minor tam in diuersis iustis
pro eodem tempore, quam in eodem in diuersis tem-
poribus magis, vel minus perfecta esse poterit, quia
illa maior, vel minor perfectio esse non potest, nisi in
subiecto, quia gratia non nisi in illo habet perfectio-
nem suam, eadem autem ratio est de gratia in diuer-
sis subiectis, vel in eodem pro diuersis temporibus,
& ideo recte illa inter se consequuntur. Vnde fit, vt
similiter è conuerso sequatur, si in diuersis personis
non potest esse gratia inæqualis in perfectione, neq;
etiam in vno, & eodem homine pro diuersis tempo-
ribus esse posse, quia est eadem ratio, & proportio.
Nam si gratia in diuersis hominibus non potest esse
inæqualis, siue id proueniat ex parte ipsius gratiæ,
siue ex parte subiecti, habebit eandem repugnantia-
m in eodem homine pro temporibus diuersis. Ex
quo etiam sequetur, gratiam absolute non posse au-
geri, quia augmentum non fit, nisi in eadem persona
secundum temporis successionem, sunt ergo illa tria
connexa.

1.
Tituli expo-
silio.

Propter quod statim hic occurrit antiquus error
Iouiniani, qui dixit omnes beatos futuros esse in glo-
ria æquales, vt refert Hieronym. lib. 2. contra ipsum, Iouin-
& Augustin. libris de Bono coniug. & de Sancta Vir-
ginit. quos contra ipsum scripsit, & in confessione
fidei, quam facit serm. 191. de Tempore, qui est terti-
us de Trinit. in fine. Ex hoc enim errore aperte se-
quitur, omnes iustos esse in gratia æquales, cum per
gratiam ad gloriam acceptentur. Vnde fit gratiam
in eo-

2.
Error Iouin-
iani, ex
quo sequi-
tur iustos
omnes esse in
gratia æqua-

in eodem homine non augeri, ac proinde simpliciter nunquam augeri; Quia statim ac homo iustificatur, acceptatur (iuxta illum errorem) ad totam gloriam, quam habiturus est in beatitudine, nam si ita moreretur, æqualem gloriam cum aliis beatis acciperet, & ipsemet, licet multo tempore viuat, & bene semper operetur, ac postea moriatur, non recipiet maiorem gloriam, quam si post primum inflans iustificationis suæ moreretur, ergo nunquam habet maiorem gratiam, ac proinde iuxta illum errorem gratia nunquam augetur. Fundamentum illius erroris fuit, quia dicebat omnia opera bona esse æqualia sicut, & omnia peccata, ut iidem Patres referunt, nam inde referebat, omnes iustos esse æqualis sanctitatis, & meriti. Ut autem hæc consecutio aliquam verisimilitudinem haberet, oportuit ipsum etiam sentire, vnum opus esse æquale multis, & multitudinem operum ad maiorem sanctitatem, vel ad meritum maioris præmii non conferre. Nam, vel sensum non habuit, vel negare non potuit, quin vnus homo plura bona opera faciat, quam alius, & vnus iustus in iustitia perseuerans plura meritoria opera faciat in longo tempore, quam in breui. Oportuit ergo, ut diceret, multitudinem operum non augere meritum eo ipso, quod singula opera æqualia sunt, quod est nouum illius erroris absurdum. Verum tamen contra hunc errorem quod præmium substantiale, & gloria sanctorum non sit futura æqualis, probatur à Theologis in materia de Beatitudine, & de Visione Dei, & contra illum sufficienter egimus li. 2. de Attributis Dei negatiuis c. 20. Quod vero peccata non sint æqualia, in materia de Peccatis ostenditur, eademq; ratio est de bonis operibus, & de meritoris infra in libr. 32. ostenditur, vbi euidentius fiet, multitudinem operum etiam æqualium gratiæ, & essentialis gloriæ præmium augere.

3. Hunc errorem quoad assertionem æqualitatis iustitiæ in omnibus hominibus iustus suscitauit Lutherus, & ad illum consequenter dixit, non posse iustum in iustitia crescere, quia sicut in diuersis hominibus iustitia non recipit magis, vel minus, ita neque in eodem. Fundamentum eius fuit supra tractatum, quia iustificatio, nec fit per in hærentem iustitiam, nec per opera, quibus ad illam recipiendam homo disponatur, sed per iustitiam Christi per fidem apprehensam, & imputatam. Nam iustitia Christi semper est eadem, & nulla est ratio apprehendendi illam magis, vel minus, cum ratio huius apprehensionis fidei, & applicationis sit eadem. Nam quod vnus fortasse possit maiori conatu, aut intentione id apprehendere, aut credere, sibi imputari iustitiam Christi, id nihil refert ad maiorem imputationem, cum hæc non fiat propter actus fidei, ut opus hominis est, sed propter eius obiectum cum promissione diuina propter merita Christi facta, quæ merita eadem sunt, & ex parte Christi æque omnibus credentibus offeruntur. Referunt ferè in hunc modum istum errorem, & refutant illum Bellarmin. libr. 3. de Iustificatione. cap. 1. & vltim. Vega libr. 10. in Tridentin. per totum. Paya li. 6. Orthodoxar. explicat. Tiletan. in Apolog. pro decretis Concilii Tridentini sess. 6. cap. 10. & alii.

4. Nihilominus alii nouiores hæretici sequentes Kemnitium, & Bucerum, non obstante assertionem, quam sequuntur, de imputatiua iustitia per solâ particularem fidem, vel fiduciam, admittunt gradus in æquales talis iustitiæ in diuersis hominibus, & consequenter augmentum iustitiæ in eodem homine. Loquunturq; cum proportionem de prima, ac de secunda iustificatione, nimirum, quod sicut iustificatur homo, quia credit se esse iustum, ita magis iustificatur quando credit sibi magis imputari iustitiam Christi. Cur autem, aut quomodo possit homo certo credere sibi magis, ac magis imputari iustitiam Christi, non inuenio ab his hæreticis explicatum. Omnino enim

contendunt, non fieri propter opera hominis, quæ censent esse mala, & peccaminosa, ac proinde esse indigna omni iustitia, ne dum iustitiæ augmento. Oportet autem ut declarent in quo niti possit illa fides de maiori augmento imputatiua iustitiæ. Nam licet interdum dicant, niti in sola misericordia Dei, hoc non potest satisfacere, Nam inquirimus, vnde possit homo certo credere, vel confidere se absolute credere, Deum vti secum illa misericordia magis iustum putandi iustitiam Christi, quam alteri vel nunc magis, quam antea: cum hæc differentia, nec ex promissionibus diuinis, nec ex meritis Christi absolute spectatis, neque ex operibus hominis colligi valeat. Respondere solent, illam fidem non esse ex operibus, non tamen esse sine operibus, nam Deus illum tantum acceptat ad maiorem imputationem iustitiæ Christi, quem videt opera facientem, licet tunc etiam id faciat ex sola sua misericordia, non ex operibus. Sed hoc attingit quæstionem de merito operum libro. 12. tractandam, nunc vero supponendo illud meritum, satis refutatur illa euasio. Et præterea quis sic loquuntur saltem negare non possunt, bona opera esse condiciones necessarias ad illud etiam augmentum iustitiæ, quod ipsi fingunt. Vnde coguntur consequenter concedere, exigere Deum iustitiæ opera, ut condiciones necessarias ad augendam in nobis iustitiam, putant enim omnia opera nostra esse mala, & ideo negant, nos iustificare. Quo fundamento posito absurdissimum est dicere, opera nostra quouis modo esse necessaria ad augmentum iustitiæ, in quo magis consequenter Lutherus loquutus est. Verum tamen etiam illud fundamentum hæreticum, & per se absurdissimum est, ut in superioribus ostendimus, & aliqua in sequenti libro addemus.

Omissis ergo hæreticorum deliriis, doctrina Catholica ad hoc punctum pertinet tribus assertionibus comprehendendi potest. Prima est, gratiam, & hærentem iustitiam in hærentem esse posse, imo, & de facto esse, in æqualem in diuersis hominibus iustis. Hæc veritas sufficienter probatur ex alia assertionem fidei, quod in eodem patria erit in æqualitas beatitudinis essentialis, quia sic iustitia gloria gratiæ respondet. Peculiariter autem probatur potest ex illis locis Scripturæ, in quibus vnus dicitur melior alio, vel non habere æqualem, ut Ecclesiasti. 4.4. Job. 1.1. Reg. 9. Matth. 11. Pauli ad Ephes. 4. Vni cuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, vbi aperte docet Paulus, gratiam non omnibus conferri æqualem, sed maiorem, vel minorem secundum mensuram donationis Christi, id est, secundum voluntatem, ac occultissimam rationem providentiæ eius. Respondere autem potest aliquis, loqui Paulum ibi de gratis gratis datis, & diuersis Ecclesiæ ministeriis, & gradibus, non tamen loqui de in æqualibus donis gratiæ grati facientibus. Nam statim sedit. Et ipse dedit quodam quidem apostolos, alios vero Prophetas &c. Sed absque vlla dubitatione etiam dona gratiæ gratum facientis comprehendit, tum quia vniuerse de gratia loquitur, tum quia verba. Pl. 67. quæ allegat, & de Christo exponit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus, maxime de gratiæ gratum facientis donis, & præcipue de abundantia Spiritus Sancti visibiliter data in Ecclesiæ initio, à Patribus intelligitur: tum denique quia hæc commemorat varios gradus, & dignitates ministeriorum Ecclesiæ, ostendens non esse contraria eiusdem Ecclesiæ vnitati, sed maxime consentanea illi, eo ipso indicat illis dari etiam diuersam gratiæ auxilium, & consequenter etiam sanctificantis mensuram, quia vniuique datur gratia suo muneri accommodata, quantum est ex sapientissima Christi institutione, ut bene ibi Caietanus notauit. Denique Hieron. & Ambrosii specialiter de gratia sanctificante exponunt, ut statim declarabo, alii vero Patres generatim de donis gratiæ in æqualibus intelligunt, & sanctificantem gratiam non excludunt.

Secundo

6. Probat
unde ex
p. r. fidei
principiis.
Princip.
ex Concil.
Trident.

Secundo colligitur hæc veritas ex aliis principiis fidei. Primum est illud traditum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. iustitiam ita infundi vnicuique iuxta mensuram voluntatis Spiritus Sancti, ut etiam infundatur singulis secundum propriam vniuersusque dispositionem, & cooperationem. Quod de omni iustificatione, etiam quæ fit per sacramenta, verum esse in suis locis ostensum est. Hinc autem euidenter sequitur, in ipso momento, in quo plures iustificantur, posse illorum gratias esse inæquales, quia non omnes cum æquali dispositione iustificantur, ut per se evidens est, & sumitur ex verbis Christi Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit. Et hoc est, quod dixit Hieronymus, circa verba allegata ad Eph. 4. vnicuique dare Deum gratiam secundum mensuram à se præscriptam, & nihilominus vnumquemque recipere illam iuxta capacitatem valis, in quo gratiam suscipit, & in eodem sensu dixit ibi Ambr. Non tamen sine æquitatis mensura, quia vnicuique pro viribus tribuit, ut tantum habeat, quantum sit. Quod certe de gratia gratis datus dici non potuit, sed de sanctificante gratia, quæ est aqua viua, sicut animæ extinguens, intelligendum vero est, hanc sitim, seu dispositionem ita esse pro viribus vniuersusque, ut vires ipsas gratia tribuat, licet cooperatio hominis libera sit, ut in superioribus tractatum est. Et huic principio aliud addi potest, scilicet, merita hominum post primam iustificationem esse inæqualia, ut significatur Matth. 11. in terris inæquales fructus ferentibus, & 1. Cor. 15. cum dicitur alios superædificare aurum, alios argentum &c. & res ipsa per se evidens est, ostendimus autem infra, gratiam augeri per merita, ergo in diuersis fiet inæqualis per inæqualia merita, & inde fit, ut etiam in morte possit esse inæqualis, quia potest vitæ progressus esse inæqualis vsq; ad mortem, ut significatur Matt. 25. in parabola talentorum, & aliis similibus.

7. Tertium.

Aliud principium est, quia in nouo testamento maior gratia, & spiritus abundantia communicatur Ecclesiæ, quam antea daretur hominibus, ut in libr. VI. de Leg. declarando differentiam veteris, & nouæ legis, late diximus, & facile intelligitur ex illo ad Roman. 5. Abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes in vitâ regnabunt: & capitul. 8. Lex enim spiritus vite in Christo IESU liberat me a lege peccati, & mortis: nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens &c. Quæ quidem differentia licet in actualibus gratiæ auxiliis magna ex parte consistat, præcipue vero in abundantia ipsius gratiæ sanctificantis, de qua loquitur Paulus ad Tit. tertio, cum dicit: Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius heredes simus &c. Vnde non est dubium, quin iustificati per baptismum maiorem gratiam recipiant, quam prius circumcissione daretur. Præterea in lege noua etiam est certum, dari maiorem gratiam paruulo recipienti baptismi, & confirmationis sacramentum simul, quam recipienti solum baptismum, & ita ex illis duobus vnum esse sanctiorem alio: & Spiritus Sanctus magis dicitur esse in vno, quam in alio, ut in Apostolis post diem Pentecostes magis, quam in aliis. Vnde optime Augustinus. Epistol. 57. circa medium dicit: Qui vbiq; est, non in omnibus habitat, & in quibus habitat, non equaliter habitat. Et infra: Et vnde in omnibus Sanctus alij aliis sanctiores, nisi abundantius habentes habitorem Deum.

8. Probat
tandem ra
tione suppo
nendo habi
tualem gra
tiam capaci
tatem augmen
ti.

Ratio vero ex modo huius inæqualitatis, & augmenti, ac subinde ex dicendis in sequentibus capitulis, in quibus id declarandum est, pendet. Nunc autem habitem supponimus, sermonem esse de inæqualitate in tualem gratiam augmento inrensiu habitus gratiæ. Et sic ad rationem tualem esse capacem augmentum, & intentionis, quod

secundum principia fidei probamus ab effectu, quia de facto augetur. Secundum principia vero Philosophiæ probatur, quia hæc gratia est qualitas quædam, ut supra probatum est, ergo ex suo communi genere non repugnat illi hoc augmentum, quia hæc est proprietas qualitatis, nec etiam ex differentia eius, vel subalterna, scilicet, quod sit qualitas supernaturalis, vel specifica, scilicet, quod sit gratia, illi repugnat, tum quia nulla ratio talis repugnantia assignari potest, tum etiam quia in actibus gratiæ, etiam in dilectione Dei potest esse hæc varietas, nam vnus intensius diligit Deum, quam alius, ut per se notum est, quia liberum est homini magis, vel minus ad hos actus conari, quando autem potentia magis conatur, actus fit intensior, cum diuinum auxilium non desit, etiam in habitibus charitatis potest idem inueniri, ergo etiam in gratia habituali: tum denique, quia gratia est participatio diuinæ naturæ inadæquata, & imperfecta, ergo eo ipso potest esse multiplex, & magis, ac minus perfecta, & non in essentia, ut supra libro sexto visum est, ergo in intentione. Supposita autem possibilitate rei, seu capacitatem ex parte gratiæ de facto reddenda est ratio, primo quidem, ac præcipue ex voluntate Dei, ut Paulus docuit, qui hoc ita decreuit ad ostensionem gratiæ suæ, ut latius in materia de Prædestinatione traditur. Secundo vero ex causis talis gratiæ, quæ interdum efficaciores applicantur, ut in Sacramentis patet, interdum vero, quia proxima causa libera est, & ex illius libero vsu differentia oritur, quia magis, vel minus conatur, ut Concilium Tridentinum dixit, vel quis magis, aut minus operatur, ut mox declarabimus.

Secunda assertio Catholica est, in vno, & eodem posse gratiam, & iustitiam augeri. Ita definitur in Tridentino sess. 6. cap. 10. & canon. 24. & 32. & sequitur aperte ex precedenti, ut in principio capituli dixi, iustitia in quia eadem est ratio de eadem persona pro diuersis temporibus, quæ de diuersis personis pro eodem. Et de augeri satis expresse habetur in Scripturis, quia sicut in eis dicitur vnus homo iustior alio, ita dicitur idem homo iustior fieri temporis decursu. Ideo enim monet Sapiens Ecclesiast. 18. Ne perearis vsque ad mortem iustificari, id est iustior fieri, hæc est enim propria illius verbi significatio in locis similibus, ut in principio li. 7. ostendi, & patet ex simili loco Apocal. vi. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Non potest enim sanctus sanctificari, nisi per augmentum sanctitatis, nec verbum, Sanctificetur, aliquam fugam per alterius significationis fictionem admittere. Et clarissime Prover. 4. Aulorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsq; ad perfectum diem. Vnde in Psalm. 83. Beatus, dicitur vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibi de virtute in virtutem &c. Vbi Basil. Virtutem enim augent quotidie, qui vitam pietatis exercitio dedicam amplexi sunt. Et infra. A virtute ad virtutem transcentes singulis diebus diuitias suas auctiores reddunt. Et Augustinus de ascensionibus sic scribit: Facit illi gradus, quibus ascendat (vique gratia iusto) vbi illi facit gradus in corde. Quanto ergo plus amauerit, eo plus ascendet. Et Gregor. homil. 15. in Ezechiel. illud de virtute in virtutem, exponit de gradibus augmenti: Quando (inquit) vnaquaque virtus quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Et homil. 19. de ascensu, ait. Peccator quisquam dum se in lacrymis humiliter affigit in corde, per ascensum virtutum proficit. Hinc etiam Paulus orabat, Vi charitas vestra magis, ac magis abundet. & ad Ephes. quarto. monet, Veritatem facientes in charitate crescimus, quem August. lib. 21. de Ciuit. cap. 15. imitatur, dicens: Hic pignore accepto (vique gratia) illud, cuius est hoc pignus, suo tempore consequemur. Nunc autem ambulemus in spe, & proficientes de die in diem. Spiritu facta carnis mortificemus. Dum autem proficimus iam iustificati, ipsa iustitia in nobis crescit, ut ait Augustinus. sermo. 16.

Probatur
ratione.

10.

Assertio 3.

Augmentum

gratiæ, &

iustitiæ fit

tum per bo-

na opera, in

per sacra-

menta, de

fide est vera

que pars as-

sertionis.

2. pars expe-

ditur prius.

de. 1. erb. Apost. Denique ratio huius assertionis eadem est, quæ præcedentis, & in sequentibus amplius explicabitur.

Dico 3. Hoc gratiæ, & iustitiæ augmentum in iustis per bona opera ipsorum, vel per signa aliqua ad hunc effectum à Deo instituta, regulariter fit. Hæc assertio quoad utramque partem est de fide, duobus enim modis, ut distinguunt Theologi, potest fieri augmentum, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato, prior attingitur in prima parte assertionis, posterior in secunda. Pertinet autem hic posterior ad effectus sacramentorum novæ legis, & ideo de illa parte nihil amplius est in præsentia dicendum, sed catholica veritas supponenda est, quæ docet, sacramenta à Christo instituta, quando ab homine iam iustificato recipiuntur, illius gratiam augere, quia semper, & omnibus non ponentibus obicem gratiam conferunt, ut definit Concilium Tridentin. sess. 7. canon. 6. & 8. sed iustus illa recipit sine obice, ergo gratiam illi conferunt, & non primam, quia iam illam habet, ergo augmentum eius. Et quamvis hoc augmentum non fiat sine aliqua hominis cooperatione, tum quia ipsa voluntaria receptio sacramenti est opus hominis, tum etiam quia dispositio aliqua ex parte eius debet præcedere, & hac ratione posset hoc genus augmenti ad primam conclusionis partem reduci, nihilominus tamen, quia ibi datur speciale augmentum ultra totum meritum hominis ex vi solius diuinæ institutionis, ideo non potest proprie dici fieri per bona opera hominis, unde tale augmentum etiam in parvulo nihil operante inueniri potest, ut in parvulo baptizato cum confirmatur, vel si Eucharistia illi detur. Et ideo recte dicitur, hoc augmentum per signa à Deo instituta conferri. Unde etiam constat, esse proprium præsentis temporis novæ legis, & non esse ex intrinseca natura, & causalitate gratiæ, sed ex postiva Dei ordinatione, ut in propria materia de Sacramentis tractatum est, & ideo de hoc genere augmenti gratiæ nihil fere amplius in hac materia dicemus, sed solum de primo, qui est ab intrinseco, & quasi per virtutem vitalem ipsius gratiæ perficitur.

11.

1. Pars iam

probatur 1.

Prior igitur pars etiam est definita ab eodem Concilio Tridentin. sess. 6. capitul. 10. & canon. 24. & 32. & colligitur euidenter ex locis citatis pro præcedenti assertionem. Nam ideo postulat ab homine hoc augmentum, & ut magis, ac magis se iustificet, & ut in charitate crescat, & ascensiones in corde suo disponat, quia hoc per opera eius libera fieri debet, ut etiam sancti allegati exposuerunt. Et in hunc modum idem conuincitur ex illo ad Roman. 6. Vbi Paulus hominibus etiam iam iustificatis dicit. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditie, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitie in sanctificationem. Non quidem primam, quia illam supponit, ergo in secundam, id est, in sanctificationis augmentum. Unde subdit: Liberati à peccato serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem. De quo fructu ait ad Colos. 1. Ut ambuletis digne Deo in omni opere bono fructificantes, & crescentes &c. ut enim dixit Augustinus lib. 2. de Peccator. merit. cap. 13. Ambulatio ista non corporis pedibus, sed mentis affectibus, & vite moribus geritur, ut possint esse perfecti iustitie possesores, qui recte iurare sibi de die in diem sua renouatione proficientes, iam perfecti facti sunt eiusdem iustitie viatores. Et infra explicando hoc augmentum, & tractando de merito, plura in huius veritatis confirmationem afferemus.

12.

Theologica

cogruentia.

Ratio philosophica conclusionis ea tantum esse posset, quod iustitia in habitibus inhærentibus nobis consistit, habitus autem per actus augeri solent. Sed hic potest inueniri hæc ratio minus efficax, quia habitus infusi non possunt effectiue augeri à suis actibus, sicut augentur habitus acquisiti. Et ideo addenda est congruentia Theologica, quod ubi causa

secunda sufficienter disponit materiam, & non potest inducere formam, ad Deum spectat supplere causam secundæ defectum, ut in animæ rationalis creatione cernitur. Et ex propriis possunt sumere argumentum, quia in prima sanctificatione si homo si-
sufficienter disponat cum Dei auxilio, quia per suum actum non potest homo inducere habitum, Deus illum infundit, ergo simili modo, vel à fortiori, si homo iam iustificatus per opera ipsius iustitiæ, recte se gerat, & disponat, Deus augmentum habituum conferet. Et confirmatur primo, quia in ipsa prima iustificatione Deus confert maiorem gratiam homini, melius se disponenti, ut supra visum est, ergo etiam tum, auget gratiam eius, qui per gratiam melius operatur. Denique ratio moralis diuinæ providentiæ hoc postulat, ut iusti ad bene operandum animentur, & excitentur spe fructus, & maioris sanctificationis. Ratio etiam amicitia postulat, ut affectibus, & assiduis obsequiis crescat.

Atque hæc quidem rationes ostendunt utilitatem bonorum operum ad hoc augmentum, necessitatem autem ostendit ipsamet rerum euentus diuinæ providentiæ consentaneus. Scimus enim, Deum paratum esse ad sanctificandos, & perficiendos homines, ostendimus autem, imo experimur, non omnes aequaliter sanctificare, neque omnium gratiam augere, ergo tota ratio huius est, quia in hoc negotio cooperationem liberam hominis interuenire voluit, & ideo lex lata est, ut factores legis iustificentur. Roman. 2. ut exponit Augustin. de Spirit. & liter. cap. 2. Quæ lex suo etiam modo in augmentum iustitiæ per sacramenta seruatur, nam qui sacramentum recipit, vel legem implet, si sit adultus, vel in eo lex impletur, si sit parvulus. Nihilominus tamen in conclusione particulam, regulariter, addidi, quia ex privilegio potest Deus, & solet gratiam augere sine operibus, vel sacramentis, ut fecit in Apostolis in die Pentecostes, & credibile est fecisse in Beata Virgine in eo momento, in quo illam concepit: & fortasse in aliis, quia est Dominus gratiæ suæ, & potest illam conferre quando, & quomodo voluerit. Et nihilominus etiam in illis casibus, nunquam legimus dedisse hoc augmentum, nisi proprio aliquo consensu, vel cooperatione libera, ut Apostolis orantibus, Virgini consentienti &c. licet augmentum fuerit maius, quam talibus operibus deberetur. Obiectiones hæreticorum nullæ proprie huius loci occurrunt, sed partim tractando de vera, & inhærente iustitia, & dispositionibus ad illam tractatæ sunt, partim in libr. 11. tractando de bonis operibus, & in duodecimo tractando de merito, soluentur.

C A P V T II.

Utrum hoc iustitiæ augmentum per intensiorem habitum fiat, & consequenter quomodo fiat?

Ratio dubitandi esse potest, quia in his habitibus vel non est possibilis, vel non est necessaria intensio, & alioqui augmentum iustitiæ, & sanctitatis formaliter per exercitium ipsorum actuum, atque adeo per ipsamet opera potest sufficienter fieri, ergo non est necesse, ut in intensiorem habitum consistat. Antecedens, quoad singulas partes probatur. Prima de possibili, quia virtutes infusæ sunt potius potentia, quam habitus, potentia autem non sunt qualitates intensibiles, ut in intellectu, & voluntate, & aliis similibus patet. Unde fit, ut gratia, quæ ad has virtutes sicut essentia ad suas potentias comparatur, non magis sit intensiōis capax, quam substantialis forma: tum etiam, quia gratia cum suis habitibus remitti non potest, ut Theologi docent, ergo nec per intensiorem augeri: est enim eadem ratio, eadem-